



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

CCLVI. Prozeß - Verhandlungen gegen den Propst ud die Stadt Salzwedel
und über die Belegung der letztern mit dem Interdict wegen eines in
dieselbe eingebrachten, gegen ein geistliches Lehn zu ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

die mensis Octobris, nostri vicariatus sub sigillo presentibus appenso in testimonium omnium premissorum.

Danneil's Kirchengesch. der Stadt Salzwedel, S. 22—23.

CCLVI. Prozeß-Verhandlungen gegen den Propst und die Stadt Salzwedel und über die Belegung der letztern mit dem Interdict wegen eines in dieselbe eingebrachten, gegen ein geistliches Lehn zu Danneberg verübten Kirchenraubes, von 1391—1394, Schluß vom 25. Juni 1394.

Johannes, Prepositus Ecclesie Lubicensis, Judex vnicus cause et partibus infra-scriptis a sede apostolica specialiter deputatus, Vniuersis et singulis Prelatis tam Cathedralium quam Collegiatarum Ecclesiarum Canonicis, Ecclesiarum parrochialium aliorumque diuinorum Rectoribus, presbiteris, Tabellionibus, Notariis publicis et clericis quibuscunque per Maguntinensem, Bremensem, Magdeburgensem, Hildesemensem, Halberstadensem, Lubicensem, Havelbergensem et verdensem prouincias ciuitates et diocesces et alias vbilibet constitutis Salutem in domino et mandatis nostris infra-scriptis ymmo verius apostolicis firmiter obedire. Nouerint quod alias ad instanciam discreti viri Johannis vlogel, perpetui beneficiati in Capella beate Marie virginis in Castro Dannenberghe, verdenfis diocesis, contra dominum Albertum Conow, prepositum, proconsoles et consules Opidi Soltwedel, eiusdem diocesis, certos processus emisimus tenoris infra-scripti: Johannes, prepositus Ecclesie Lubicensis, Judex vnicus cause et partibus infra-scriptis a sede apostolica specialiter deputatus, vniuersis et singulis Prelatis tam Cathedralium quam collegiatarum Ecclesiarum Canonicis, Ecclesiarum parrochialium Aliorumque diuinorum Rectoribus, presbiteris, Tabellionibus, Notariis, publicis et clericis quibuscunque, per Maguntinensem, Bremensem, Magdeburgensem, hildesemensem, halberstadensem, havelbergensem, Brandeburgensem, verdensem, Mindensem, Paderbornensem, zwerinensem, Rzeburgensem et Lubicensem Prouincias, Ciuitates et diocesces et specialiter in opido Soltwedel, dicte Verdenfis diocesis, et alias vbilibet constitutis, qui ad execucionem presentium quomodolibet fuerint requisiti, Salutem in domino et mandatis nostris infra-scriptis ymmo verius apostolicis firmiter obedire. Nouerint quod alias constitutus coram nobis discretus vir Johannes vlogel, Clericus, perpetuus beneficiatus in Capella beate marie virginis in Castro Dannenberghe, dicte verdenfis diocesis, quasdā literas sanas integras et illesas, vera bulla plumbea in filo canopis more Romane curie pendente sanctissimi in cristo patris et domini nostri domini Bonifacij pape moderni bullatas, non cancellatas, non abollitas, sed prorsus omni vitio et suspicione carentes coram nobis ac Notario et testibus in medium produxit, Quarum literarum tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

Bonifacius, Episcopus, seruus seruorum dei dilecto filio preposito Ecclesie lubicensis Salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilectus filius Johannes vlogel, Clericus, perpetuus beneficiatus in Capella beate Marie virginis in Castro dannenberghe, verdenfis diocesis, petitione monstrauit, Quod olim in prouinciali consilio Maguntinensi, per Archiepiscopum Maguntinensem et suos suffraganeos qui tunc erant, tantopere celebrato, statutum fuit et eciam ordinatum, ut quicunque personas ecclesiasticas Ciuitatis uel diocesis aut prouintie Maguntinensis, eorum

bonis seu rebus spoliarent ac spoliatores seu bona uel res huiusmodi receptarent, excommunicacionis sententiam incurrerent, et terra seu locus, in qua uel in quo spoliatores uel bona seu res ac receptatores huiusmodi reciperentur, corporali interdicto ecclesiastico subiacerentur et dictus archiepiscopus ac quilibet suffraganeorum huiusmodi in suis Ciuitatibus et diocesibus per se uel alium executor esset statuti supradicti, quodque postmodum henricus moychel, armiger dicte dioecesis, associatis sibi quibusdam eius in hac parte complicitibus eundem clericum quibusdam pecuniarum summis et rebus aliis ad ipsam ecclesiam pertinentibus nequiter spoliauerit et Albertus, prepositus Ecclesie in oppido Soltwedel, dicte verdenfis dioecesis, ac proconsules et consules dicti opidi prefatos Armigerum et complices necnon pecuniarum summam et res huiusmodi in dicto opido receptauerunt. Et tandem Ludolfus de Echte, decanus Ecclesie sancti Alexandri Embecensis, dicte Maguntinensis dioecesis, Executor dicti statuti per venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Moguntinensem specialiter deputatus, ad quem idem clericus recursum super hiis humiliter cepit de premissis, que adeo erant notoria quod nulla poterant tergiversacione celari, legitime constitit prefatos armigerum, complices, prepositum, proconsules et Consules propter hoc ad suam prouinciam legitime euocatos excommunicacionis ac predictum opidum interdicti sententias, contentas in dicto statuto dampnabiliter incurrisse declarauit, ipsosque armigerum et complices, prepositum, proconsules et consules excommunicatos ac predictum opidum interdictum mandauit et fecit publice nuntiari. Et quod postmodum idem decanus declaraciones et mandatum huiusmodi, dicto clerico ad hoc non uocato sed absente non per contumaciam nullaque sibi de ablatis huiusmodi satisfacione impensa nec de satisfaciendo eidem caucione recepta, de facto reuocauit pro parte dicti clerici, sentiente exinde ab eodem decano se in debite se grauari, fuit ad sedem apostolicam appellatum. Cum autem dictus clericus sicut asserit potenciam dictorum iniurancium merito perhorrescens eos infra Ciuitatem seu dioecsin verdensem nequeat conuenire secure, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus uocatis, qui fuerint euocandi, et auditis hincinde propositis quod iustum fuerit appellacione remota decidas, faciens quod decreueris per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio uel timore subtraxerint censura simili, appellacione cessante compellas ueritati testimonium perhibere. Datum Perusij, XVIII kalendas Junij pontificatus nostri anno Quarto.

Post quarum quidem literarum apostolicarum presentacionem et receptionem pro parte dicti Johannis fuimus instanter et diligenter requisiti, ut ad ipsarum executionem procedere sibi que citationes decernere ac alias iusticie complementum facere dignaremur. Nos ipsius petitionem iustam reputantes volentes mandatum apostolicum exequi reuerenter, ut tenemur, seruatis seruandis, citationem decreuimus contra omnes et singulos, quos dicta causa concernebat, et presertim contra dominum Ludolfum de Echte, decanum Ecclesie sancti Alexandri Embecensis, Maguntinensis dioecesis, executorem statutorum prouincialium sacri consilij Maguntinensis, per Reuerendum in cristo patrem dominum Archiepiscopum Maguntinensem specialiter deputatum, Qui nuper quosdam processus auctoritate sibi, ut prefertur, commissa, ad instanciam dicti Johannis contra Henricum moychel armigerum in dioecesi Verdenfi tunc moram trahentem et suos complices, qui dictum Johannem quibusdam pecuniarum summis et rebus aliis ad ius et proprietatem dicti clerici et beneficii spectantibus spoliauerit, Ac contra dominum Albertum Conow, prepositum ecclesie in oppido Soltwedel, dicte verdenfis dioecesis, ac proconsules et consules dicti Opidi premissorum receptatores legitime emisit, Quorum processuum tenor sequitur in hec uerba:

Ludolfus de Echte, decanus Ecclesie sancti Alexandri Embecensis, Maguntinensis diocesis, Commissarius et Executor statutorum prouincialium Sacri consilii Maguntinensis, a Reuerendissimo in cristo patre ac domino, domino Conrado, sancte Moguntinensis Ecclesie Archiepiscopo specialiter deputatus, Vniuersis et singulis Ecclesiarum, Capellarum, Altarium aliorumque diuinorum Rectoribus seu Vicerectoribus, Capellanis, presbiteris, Notariis et clericis quibuscunque, per diocesim Verdensam, prouincie Moguntinensis, et specialiter in Soltwedel dicte verdensis diocesis et alias vbilibet constitutis Salutem in domino et mandatis nostris ymmo verius metropolitice firmiter obedire. Querelam discreti viri Johannis Vlogel, clerici beneficiati in Capella beate marie virginis in Castro dannenberghe, eiusdem diocesis, recepimus continentes, Quod eum nuper henricus Moychel, armiger, in diocesi Verdensi moram trahens, dei timore postposito, cum nonnullis alijs in hac parte complicibus suis certos equos et res alias mobiles, ad ius et proprietatem predicti clerici et beneficii sui spectantes, hostiliter et violenter inuassisset ac spoliasset, necnon quosdam colonos predicti clerici et beneficii de villa Techelhusen dicte verdensis diocesis inhumaniter captiuasset, et res et colonos predictos ad opidum Soltwedel predictum spoliatos et captiuatos notorie in predam adduxisset, proconsoles, consules et Ciues prefati opidi Soltwedel huiusmodi spoliolum rapinam et adduxionem gratas et ratas habentes predictos spoliatores cum rebus et Colonis predictis scienter et notorie inter dictum opidum Soltwedel receptauerunt et receptant, fouerunt et fouent, ac eidem raptoribus ad facienda et perpetranda premissa consilium, auxilium et fauorem presiterunt et prestant et quod deterius est prefati proconsoles, consules et ciues eisdem colonos ad opidum Soltwedel predictum captiuos adductos in suis carceribus dire vinculatos et detentos ad soluendum ipsis magnas pecuniarum quantitates inhumaniter affixerunt et ab ipsis extorserunt et extortas receperunt et retinuerunt et quod predicta omnia et singula in predicto opido Soltwedel, in dannenberghe et in Luchow et alijs locis dicte Verdensis diocesis adeo notoria manifesta et publica fuerunt et sunt, quod inficiarij non poterant neque possunt nec aliqua tergiversacione celari. Et licet in statutis prouincialibus Maguntinensibus inter cetera caueatur et dicatur expresse sub hac forma: Statuentes et sub pena excommunicationis iam late sententie districte mandamus, vt si quando preda uel spoliolum spiritualium personarum seu eciam ecclesiasticam personam captiuam ad aliquam ciuitatem, villam, opidum siue castrum adduci contigerit, sacerdotes et Capellani Ciuitatum, villarum et castrorum, postquam hoc scierint, non expectato super eo superiorum mandato, abstineant a diuinis, ac prefatus Johannes Vlogel, clericus, de anno domini M^o. CCC^o. XCI^o. feria III post dominicam qua cantabatur oculi in sacra Quadragesimali synodo verdensi, que in opido Luneburch verdensis diocesis in ecclesia fratrum nostrorum ibidem tunc celebrabatur, in presencia venerabilis viri domini Conradi dryborch, decretorum doctoris, prepositi Bardewicensis in Ecclesia Verdensi, nomine Reuerendi in cristo patris domini Ottonis, episcopi Verdensis predictae synodo tunc presidentis, ac alia prelatorum et cleri ad predictam synodum congregatorum multitudine copiosa, et specialiter in presencia Magistri Johannis Coci, bacalarei in decretis, tunc procuratoris synodalis honorabilis viri domini Alberti Conow prepositi ecclesie beate marie predicti opidi Soltwedel, ad hoc legitime vocati et requisiti, vigore statutorum prouincialium predictorum notorietatem spoliacionis, adduxionis et extorsionis, receptacionis et detentionis rerum et pecuniarum predictarum et quod huiusmodi res, pecunie et coloni ad eundem Johannem, clericum, ratione predicti beneficii sui pertinerent, per predictum dominum doctorem ad hec legitime admissus ex superhabundanti, ut moris est, declarauerit ac predictum dominum doctorem ac ipsam synodum de hijs plene certificauerit et de premissis plenam fidem fecerit,

Prefatusque dominus Conradus doctor, predicto Johanni Vlogel instanter et humiliter petente, vigore statutorum prouincialium Maguntinensium prædictorum, certos oportunos processus per venerabilem virum magistrum Robertum de Nortlo, officialem principalem Curie Verdenfis ibidem presentem, iuxta continentiam dictorum statutorum prouincialium fieri et emitti decreuerit et mandauerit, prefatusque dominus officialis certos suos processus inter cetera continentes, quod propter notorium spoliū predictum et ipsius ad prefatum opidum Soltwedel adduxionem et dictorum raptorum interceptacionem et extorcionem predictas in predicto opido Soltwedel ecclesiasticum interdictum vsque ad satisfactionem plenariam, iuxta continenciam eorundem statutorum prouincialium, debite seruaretur, fecerit, emisit et promulgauerit, ac magister Johannes Coci procurator synodalis predictus huiusmodi processus in predicto opido Soltwedel publicandos et exequendos receperit et publicauerit ac prenomatus dominus Albertus prepositus, et alij Clerici in eodem opido beneficiati, vigore processuum et republicacionis predictorum aliquamdiu ibidem iuxta tenorem dictorum statutorum a diuinis cessauerunt, ac huiusmodi cessatione durante discretus vir magister Johannes Malltorp, Bacalarius in decretis, procurator et Syndicus Proconfulum, Confulum et Ciuium predicti opidi, habens ad hec mandatum speciale, nomine Proconfulum, Confulum et Ciuium predictorum ad finem, ut huiusmodi interdictum relaxaretur, caucionem in manibus prefati domini Roberti Officialis, pro tribunali sedentis, ac predicti Johannes Vlogel principaliter recipientium fide data iudicialiter prestiterit, arbitratus fuerit et promiserit, Quod scilicet proconfules et consules predicti de certa summa per dictum dominum Officialem iudicialiter et legitime taxata et expressa in certo tunc et expresse termino eidem Johanni vlogel aut ipsius heredibus occasione spoliū et dampnorum predictorum per prefatos spoliatores satisfieri procurarent, Alioquin proconfules et Consules predicti per se huiusmodi summam in termino constituto eidem Johanni vlogel realiter et expedite occasione adduxionis et receptacionis spoliū et detencionis colonorum predicti clerici in prefato opido sine contradicione soluerent, Et si neutrum premissorum implerent, prefatum interdictum ecclesiasticum, quod dictus dominus Officialis de consensu eiusdem Johannis vlogel occasione dicte caucionis prestite et recepte usque ad terminum constitutum tunc ibidem iudicialiter relaxabat, Post lapsum huiusmodi termini prefato opido Soltwedel vsque ad restitutionem et resarcionem plenariam rerum, pecuniarum et dampnorum predictorum iuxta eadem statuta prouincialia seruaretur, sicut prius, ac prefatus procurator premissa omnia et singula iudicialiter ibidem expresse ratificauerit et approbauerit, prout premissa omnia et singula iudicialiter facta in instrumentis publicis desuper confectis plene vidimus continere, Et quamquam prefati proconfules et consules dictam caucionem et omnia alia et singula premissa grata et rata habuerunt et occasione dicte relaxacionis idem dominus Albertus, prepositus, cum aliis clericis Soltwedel beneficiatis diuina, a quibus, ut premittitur, cessauerant, solempniter inibi resumpserit, Idem tamen prepositus post terminum constitutum ac prefato Johanni Vlogel clerico infra predictum terminum et adhuc ut premittitur minime satisfacto diuina officia publice et solempniter contra tenorem dictorum statutorum prouincialium ac caucionem, arbitrium et promissionem procuratoris predicti, temeritate propria continuauit et celebrauit, continuat et celebrat, et alios ad continuandum et celebrandum inducit, ymmo verius prophanauit et prophanat, in dictorum statutorum contemptum, anime sue periculum ad Johannis clerici preiudicium et scandalum plurimorum. Quapropter nobis Johannes vlogel, Clericus, humiliter supplicauit, nos quoque cum instancia debita requisit, quatenus ipse in diocesi verdenfi super hiis executionem, vlcionem obtinere non valeat, nos sibi super premissis auctoritate nobis in hac parte commissa iuxta dictorum statutorum exigenciam de oportuno

remedio providere dignemur. Sed quia parum esset statuta condere, nisi foret, qui tueretur ea et executionem debite demandaret, Nos Ludolfus decanus, commissarius et executor prefatus, quia de premiffis omnibus et singulis ex instrumentis iudicialibus desuper confectis et coram nobis productis et exhibitis atque lectis plene sumus certificati et nolentes eidem Johanni in iusticia deficere, sicut nec debemus, cum ipsius peticio iuri consona sit et rationi, Vobis omnibus et singulis predictis, qui per presentes requisiti fueritis ac fueris requisitus, in virtute sancte obediencie et sub excommunicationis pena, quam in omnes et singulos, qui presentibus mandatis nostri ympos verius metropolitanis, efficaciter non paruerint vel non paruerit, terna tamen et canonica monitione premiffa, in nomine domini in hiis scriptis proferimus, districte precipiendo mandamus, quatenus accedatis, quo propter hoc fuerit accedendum ac publice requiratis et canonice moneatis prefatum dominum Albertum Conow, prepositum in Soltwedel, ac omnes alios et singulos, quorum interest, et quos concernit, quem et quos et nos presentibus requirimus et monemus ipsisque coniunctim et diuisim sub penis in dictis statutis expressis districte precipimus et mandamus, quatenus propter spoliatorum adductionem et raptorum predictorum receptionem, nec non rerum et pecuniarum inter predictum opidum extortionem, receptionem et retentionem predictorum ut premititur notorie factas, ad obseruantiam predictorum statutorum prouincialium et ad cessationem diuinorum absque expectatione alterius mandati in predicto opido Soltwedel ac eius suburbiis ac continentibus edificiis, dicta canonica monitione premiffa, penitus et omnino redeant et a diuinis cessent et ablineant, prout etiam ad id post lapsum terminum predictae satisfactionis neglecte, vigore eorundem statutorum, mox et incontinenti tenebantur, non obstanti si forsan per aliquem inferiorem domino nostro Archiepiscopo Maguntinensi et ipsius sacro prouinciali consilio super predictis statutis contrarium interpretatum vel declaratum sit, cum nullus inferior conditor eorundem statutorum ea declarare vel interpretari potuerit neque possit. Mandamus insuper vobis predictis, quatenus prefatum dominum Albertum, prepositum in Soltwedel, ad nostram peremptorie citetis prouinciam, quem et nos ex officio nostro peremptorie sic citamus, ut prima die iuridica post instans festum resurrectionis dominice coram nobis Embecki sufficienter compareat, dicturus et allegaturus causas rationabiles, si quas habet, quare propter contemptum et transgressionem eorundem statutorum penas in ipsis contentas incidisse declarari et propter hoc canonice puniri, non debeat neque possit. Intimantes eidem, quod siue in predicto termino comparuerit siue non, nos nichilominus in premiffis, prout iustum fuerit, precedemus. In signum executionis, qui requisiti fueritis fidem nobis plenariam de executione vestra per instrumenta publica vel alias legitime faciatis, hesitantibus iurisdictione nostra fidem faciemus in Embeck legitime requisiti, precipientes tibi Notario vt presentes processus nostros in publicam formam redigas nostro sub sigillo. Datum et actum Embecki dicte Maguntinensis diocesis, Anno Domini Millesimo CCC^o. XCII^o. Indictione XV^a. Mensis Martij die VIII^a. hora vespereorum vel circa, in curia habitationis domini Ludolfi, decani, Commissarii et executoris supradicti, Pontificatus sanctissimi in cristo patris et domini nostri domini Bonifacij, diuina prouidencia pape IX, anno tercio, Presentibus honorabilibus et discretis viris dominis hermanno Aurifabri Scolastico Ecclesie sancti Alexandri Embeckensis predictae, Necnon Conrado wrighe Rectore parrochialis ecclesie in Strothagen, dicte Maguntinensis diocesis, testibus ad premiffa vocatis pariter et rogatis.

Et ego Hermannus flos, Clericus Paderburnensis diocesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, venerabilis et circumspici viri domini Ludolfi de Echte, decani et executoris prefati et Cause huiusmodi coram eo scriba, Quia predictis querele, instrumentorum productioni,

lectioni, supplicacioni, requisitioni, monitioni, sententiarum prolacioni et citationi necnon omnibus aliis et singulis supradictis sic ut premititur per dominum decanum et statutorum prouincialium Maguntinensium prefatum — Executorem interfui — hoc prefens instrumentum subscripsi, — feci, — publicauit et in hanc publicam formam redegi signoque et nomine meis solitis et consuetis vna cum appensione sigilli dicti domini decani et executoris signaui rogatus et requisitus legitime in fidem et testimonium omnium et singulorum premisorum.

Quibus processibus et citatione debite executa contra Ludolfum decanum et executorem statutorum prouincialium prefatum et aliis actis ad causam ipsam facientibus in termino eidem domino Ludolfo prefixo productis coram nobis dictoque domino Ludolfo non comparente, sed per contumaciam absente, pro parte dicti Johannis fuit contumacia eiusdem domini Ludolfi accusata et in penam contumacie eiusdem petitum, vt processus supradictos per predictum dominum Ludolfum de facto neutra partem vocata, reuocatos in pristinum statum reponeremus et iuxta continenciam statutorum prouincialium Maguntinensium predictorum obseruari ac denuo exequi iuris remedijs mandarem ac contra dictos iniuriatores, si proteruitas eorum id requireret, arcus procedere dignaremur. Vtque ne nimis proni videremur ad condemnandum, terminum in sequentem diem ad horam terciarum ad committendam maliciam propter non comparitionem prorogauimus. Quo termino adueniente et parte predicta iterum non comparente pro parte dicti Johannis in iudicio nostro fuit humiliter petitum, vt sibi iuxta suam petitionem predictam legitimam et rationabilem faceremus iusticie complementum. Nos vero Johannes Judex antedictus, prefatum dominum Ludolfum legitime citatum non comparentem reputauimus ad instanciam dicti Johannis contumacem ac litem condemnauimus in expensas per nos, quantum de iure poterimus, taxandas. Et quia ex productis coram nobis didicimus et per iura et iuris rationes nos informauimus diligenter, qualiter bene pro parte dicti Johannis fuit appellatum et processus per dictum Ludolfum, decanum, Executorem statutorum prouincialium predictorum, ad instanciam dicti Johannis emissi perperam et inique fuerunt et sunt reuocati, prout super hijs in apostolis per eum datis communiter apparet, (Ipse namque dominus Ludolfus deferendo appellacioni, prout apparet in actis, tacite a reuocacione dictorum processuum recessit et iurisdictionem a se penitus abdicauit, transfundendo eandem ad manus superioris scilicet dicti domini nostri pape, ad quem extitit appellatum, qui nobis committendo tamen appellacionis et negocii principalem eandem iurisdictionem in nos transfudit) et cum idem dominus Ludolfus a se ut premititur iurisdictionem abdicauit nec habet resumere dictorum processuum executionem sine nostro mandato speciali; Quare vobis omnibus et singulis supra scriptis, qui presentibus requisiti fueritis, in virtute sancte obediencie et sub pena excommunicacionis, quam in hijs scriptis in vos et quemlibet dictorum huiusmodi mandatis nostris ymmo verius apostolicis non parentem seu non parentes, terna tamen canonica monitione premissa, ferimus et promulgamus, si non feceritis, quod mandamus, districte precipiendo mandamus, quatenus cum pro parte dicti Johannis vlogel clerici fueritis requisiti in vestris et vestrorum subditorum ecclesijs Cathedralibus, collegiatis et parrochialibus atque alijs beneficijs et locis, ubi fuerit faciendum, processus supra scriptos, sic vt presertur per dictum dominum Ludolfum ad instanciam dicti Johannis contra suos iniuriatores rite promulgatos, infra VI dies a tempore notificacionis presentium resumatis et obseruetis ac iuxta eorum totum tenorem supra scriptum, ac si nunquam fuissent, prout non censentur ad prefens, per dictum dominum Ludolfum reuocati, iuxta predictorum statutorum prouincialium continenciam in predicto opido Soltwedel ac eius suburbijs et continentibus edificijs, vos omnes et singuli supradicti communiter uel diuifim, prout fueritis requisiti, exequamini cum

effectu et executioni debite demandetis. Alioquin dicto termino VI dierum elapso contrarium facientes sententiam excommunicationis supradictam exnunc et extunc declaramus incidisse et contra vos et quemlibet non parentem ac contra dictos iniuriatores, si proteruitas eorum postulauerit, artius procedemus, Citacione tamen contra prefatum dominum Albertum Conow prepositum per dictum dominum Ludolfum decanum Embeccensem ex officio suo commisso excepta, ad cuius citationis executionem dumtaxat minime nunc procedatis. Protestantes tamen expresse, quod per presens mandatum nostrum non intendimus prefato domino Ludolfo decano causam remittere predictam, sed si necesse fuerit, dumtaxat meram et nudam executionem prout de iure. Vos, qui requisiti fueritis, reddite presencia cum cedula transfixa, modum et formam executionis vestre continente vestris sigillis figillata, penis et monitionibus sub premissis, precipientes tibi notario, ut presentes processus nostros in publicam formam redigas nostro sub sigillo. Datum et actum Lubece In Curia habitacionis nostre. Anno domini M^o. CCC^o. LXXXIII^o. Indictione Secunda, Mense Januario die XVII^a., hora terciarum uel circa, pontificatus sanctissimi in cristo patris et domini nostri, domini Bonifacii diuina prouidencia pape IX, anno Quinto, presentibus honorabilibus et discretis uiris dominis Nicolao de Insula, Jacobo Plefkow ac Johanne Langhe, Canonicis ecclesie Lubicensis, necnon marquardo lowenbeke, Clerico Sleswicensis diocesis, Notario publico, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis. Et ego Johannes Molner, Clericus zwerinensis diocesis, publicus Imperiali auctoritate notarius prefatique Domini Judicis et coram eo scriba, premissis omnibus ac singulis, dum sic ut premittitur, per predictum dominum Judicem et coram eo agerentur et fierent, vna cum prenominatis testibus, Anno, Indictione, mense, die, hora, loco et pontificatu, quibus supra, presens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audiui. Ideo presentes processus per alium me legitime prepedito de mandato meo scriptas ex precepto prefati domini Judicis in hanc publicam formam redegi signoque et nomine meis solitis vna cum appensis sigillis dicti domini Judicis roboravi in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum. Nos vero Johannes, Judex prefatus, ex certis et racionalibus causis ad hoc animum nostrum mouentibus predictos nostros processus cassauimus et annullauimus, presentibus quoque cassamus et annullamus. Quare vobis omnibus et singulis, qui presentibus requisiti fuerint, in virtute sancte obediencie et nichilominus sub excommunicationis pena, quam in presentis mandati nostri rebelles, terna canonica monicione premissa, in hiis scriptis proferimus descripte precipiendo mandamus, Ne dictos nostros processus exequi seu executioni demandare curetis, sed ipsos in ecclesijs vestris per nos cassatos et annullatos publice nuntietis. Datum et actum Lubeke in porticu Cathedralis ecclesie Lubicensis. Anno domini millesimo Trecentesimo Nonagesimo quarto, Indictione Secunda, Mensis Junij die XXV^a., hora vesperorum uel quali, pontificatus sanctissimi in cristo patris et domini nostri domini Bonifacii diuina prouidencia pape Noni anno quarto, Presentibus honorabilibus et discretis uiris, dominis et magistris Johanne de Gatzerowe decano, Nicolao de Insula Canonico Ecclesie Lubicensis, Necnon hinrico de hildesem, clerico hildesemensi et hinrico hardecop clerico Zwerinensis diocesis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes Molner, Clericus Zwerinensis diocesis, publicus Imperiali Auctoritate Notarius prefatique domini Judicis Et cause huiusmodi coram eo scriba, premissis omnibus et singulis, dum sic ut premittitur per predictum dominum Judicem et coram eo agerentur et fierent, vna cum prenominatis testibus, Anno, Indictione, Mense, die, hora, loco et pontificatu, quibus supra, presens interfui, Eaque omnia et singula sic fieri vidi et audiui. Ideo presentes processus per me scriptos de mandato prefati do-

mini Judicis in hanc publicam formam redegi signoque et nomine meis solitis et confuetis vna cum appensione Sigilli dicti domini Judicis signavi in fidem et testimonium omnium et singulorum premifforum.

Nach dem Originale im Stadt-Archive zu Salzwedel, Fach 29, No. 4.

CCLVII. Bischof Otto von Verden bestätigt dem Annen-Kloster zu Salzwedel verschiedene kleine Erwerbungen, am 29. November 1393.

Otto, dei et apostolice sedis gratia Episcopus Verdenfis, Vniuersis et singulis presentes literas inspecturis Salutem in domino sempiternam. Cum de inclita prouidentia canonica sanxio congrue ordinat et disponit, ut pie legata, donata aut alia alio quouis modo in subsidium spiritualium personarum legitime acquisita, superiorum auctoritate approbentur, Ne in posterum talia spiritualium personarum stipendia, horrende cupiditatis impulsu, a peruerfis rapiantur, distrahantur aut in vsus alienos minus licite conuertantur. Hinc est quod cum alias dilectus nobis in cristo dominus henricus de dannenberge, iudicus et procurator domus sancte Anne, site in curia canonicorum regularium Monasterij sancti spiritus extra muros opidi Soltwedel, et deuotarum feminarum inibi deo deuote famulancium nostre Verdenfis dyocesis et procuratorio nomine ipsarum ad perpetuam conseruacionem et sustentationem earundem diuersas possessiones in pratis, ortis et pascuis et alijs bonis immobilibus seruata contrahentium forma consweta et presertim in talibus ex iuris indulto concessa a diuersis secum contrahentibus pure et realiter comparauit et emit, videlicet a quodam henrico wend, opidano in nouo opido soltwedel, vnum pratum situm inter locum vulgariter appellatum oldeteyghellschune et ripam dictam Gysne, ac ab honesta gerthruide, relicta quondam heinrici Pluzekens, de omnium suorum heredum et precipue Johannis hesteden, filii sui, expressa voluntate et consensu, vnum ortum, situm in loco qui dicitur Kronenberg iuxta villam bochornenghen; Necnon ab honesta Margareta relicta quondam lippoldi Molendinatoris et a lippoldo, eius filio, vnum pratum dictum Winkelwisch, situatum iuxta flumen gyfna et villam krichelndorpe; Et a discreto viro Reyeneke weuer, commoranti in villa perwer, vnum pratum inter eandem villam et locum qui dicitur Krichelhop situm, que duo prata quondam strenui Milites Thidericus et bernhardus, dicti de Schulenborch, iuste et rationabiliter vickoni bodonis in antiquo opido soltwedel in perpetuum iusto vendiderunt titulo possidenda, a quo ad dictas vendentium personas videlicet Margaretam, lippoldum et Reyneken dicta vero prata in consimilibus contractibus venditione legitime peruenerunt; Insuper Benedicta de Achchem a strenuo milite domino bernhardo et Johanne, armigeris, dictis de Schulenborch, dimidietatem cuiusdam prati siti in loco, qui schulenborch vulgariter appellatur, ad perpetuum usum predictarum feminarum in domo sancte Anne deo famulancium emit et comparauit. Que omnia et singula, sic ut premittitur comparata et empta, prius tamen diuersis et distinctis numeratarum pecuniarum summis ipsis vendentibus pro predictis bonis integraliter persolutis, Eodem semine in iustum titulum realis possessionis et bonam fidem, ut de jure licuit, receperunt, prout in patentibus literis super premiffis emptionibus et contractibus firmam fidem facientibus coram nobis publicatis, lectis et examinatis, apparuit euidenter. Quare sepedictus henricus, intendens futura pericula et improuisa discrimina in premiffis preuenire, Nos cum ea, qua decuit, instancia humiliter petijt et